

88.

Vir celeberrime!

Theobroma augusta, mihi antea dicta, non modo flores praeterlapsa aestate mihi protulit, sed et semina perfecit. Flos quoad nectaria et stamina valde affinis erat Theobromati, sed fructus et ipsa herba Hibiscis, unde diversa a Theobromate, et debet distincto genere tradi. Ob affinitatem floris vellem, quod nomen hujus terminaretur in *broma*, e. gr. Panobroma, cibus sylvarum Dii, Pan, vel aliud simile.

Meretur profecto tam singularis tradi et proponi pulcherrima figura et accuratissima, quales omnes Tuae. Doleo quod nondum obtinuerim Aubletii opus, cujus figurae erint eximiae.

Accepi nuper *Fungum Hydnoram* descriptum et delineatum in Actis Holmiensibus 1775. missum e Cap. b. Spei. Adeo singulare vegetabile numquam vidi, perperam ad fungos relatum; est enim Flos immediate terrae innatus, absque caule, foliis et omni apparatu vegetabili, constans solo flore, qui est monadelphus, triandrus, calyce magno trifido, petalis tribus, Pistillo unico. Vellem ad Te mittere specimen, si occasio commoda se sisteret, cum in literis nequit. Nondum accepi Thesaurum plantarum a Te generosissime missum, per amicissimum meum D. Myrray.

Tuus totus,

C. Linné.

Upsaliae 1776, d. 20. Januarii.

---